



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiæ, 1605

Brevis Iapaniæ Insvlæ Descriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

2

B R E V I S
I A P A N I Æ I N S V L Æ
D E S C R I P T I O.

Nuicta Christi fides & castissima religio, licet in hac nostra Europa immanissimis erroribus atque sceleribus quotidie Caco-demonis machinatione impugnetur, vincit tamen, & caput victrix proferens in remotissimis & incognitis orbis partibus, Societatis I E S V ministerio, pios omnes Europæos consolatur, promissionum Christi fidem auget, & nihil de Ecclesia sponsa Christi contemptim sentire per animi abiectio-nem hoc exulceratissimo rerum statu patietur. Impios autem, qui in re omnium sanctissima, parasitorum more ludunt, & verbum Dei cauponantur perterrefacere, & sollicitos merito tenere debent, ne forte funestum illud tempus illis imminet. quò ablato regno Dei, cõplea-tur terribile illud Esaiæ prophætæ oraculum: Gens & regnum, quod non seruerit tibi, peribit. Porro Iapa-nia, de cuius conuersione, multa cum ex prioribus epi-stolis, typis euulgatis, tum ex hisce pauculis lectu di-gnissimis, cognoscere potes optime lector, insula est maxima, M. Paulo Veneto Zipangri dicta, ad Septen-trionalem plagam, versus Orientem sita, non procul à China, à mercatoribus Lusitanis, circa Annum 1543. inuenta, eodem ferè cum Italia & Hispania climate; fi-nes habet latissimos, qui in longitudinem mille octin-gentis miliaribus, in latitudinem verò 900. extendun-tur, distat quæ à Goa Indiæ Orientalis illustri Metro-poli 3900. miliaribus, à Lusitania verò sex millib. leu-carum;

Ecarum; adeoque fertilis est, ut bis quotannis messem faciat, in Maio frumenti, in Septembri vero orizæ; temperies in estate talis est, qualis in India. In hanc Evangelii merces preciosissimas nostro saculo primus inuexit B. Fraciscus Xauerius miraculis euidetibus post mortem illustris, Prouincialis Societatis nominis Iesu per Indiã Orientalem, Anno Salutis 1649. qui Christianæ religionis fundamenta prima, ibidem duobus annis cum dimidio versatus, indefesso labore feliciter posuit; quibus alii eiusdem instituti, viri eruditione & pietate prestantes, alacriter superstruxerunt, ecclesiis diuersis in locis constitutis, & incredibili cum fructu gubernatis. De gentium eius insule amplissime, 66 regna continentis, vana religione & moribus, copiose in epistolis Iapanicis dudum editis pertractatur, utpote quod colore candidi, naturæ bonitate, ingeniique præstantia multis Europe nostræ nationibus antecellant, & quod eorum ingenia ad Christi religionem suscipiendam in primis idonea sint. Et quanquam temporum iniuria bellorumque motus, quibus Iapania prouincia diutissime conflagrauit, multum votis Patrum Societatis ibidem versantium obstiterint, non tamen à cæpto destiterant hæcenus, ut qui neque præteritis laboribus atque erumnis frangi, neque Sacrilegorum Bonziorum, (quod genus hominum nefariis sacris ministrat) qui omnes suos conatus in eorum perniciem comparare solent, perfidia & impietate deterreri vnquam potuerint à cæpta Euangelii promulgatione. Quinimo nouis subinde in hanc longissime disitam insulam per plenissima periculis maria doctoribus missis, pietate & eruditione eam, ut alias Orientalis & Occidentalis Indiæ oras, egregie Christo colunt, & vberem messem in Ecclesiæ horrea colligunt, nullis laboribus parcentes, quorum tu, benigne Lector, ut

fructuum parte gaudeas, & sanctissimum hoc studium ames, & precibus tuis augere velis, has tibi nuper ex Italico idiomate translatas fideliter, dedimus, vnà cum illustri certamine & pro religione Catholica obita morte cuiusdam Christi martyris nuper in Aphrica. Vale, Coloniae Agrippinae, nono Calendas Februarii, Anno Salutis Millesimo quingentesimo, octuagesimo primo.
(::)

LVDO.

